



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati Caesarei, Pars Lyrica

Gibbes, James Alban

Romae, 1668

Ad Catharinam, Magnæ Britanniaë Reginam. Conualuisse propè
desperatam, ab Vrbe missis soterijs, immortaliter gaudet. Dein afflatu
quodam, etiam vt medicus, vaticinatur. Ode XXIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13378

Aptat illustres titulos utrique :
Veris & blandi facer ac profanus
Colligit quæstum, varioquè donat
 Nomine fructus .

Pone me cælo sub inhospitali
Duplicis Zonæ domibus negatæ ,
Reddar hoc scripto tepidus, calor, seu
 Bruma perurat .

AD CATHARINAM,
MAGNAE BRITANNIAE REGINAM .

*Conualuisse propè desperatam , ab Vrbe missis soterijs ,
immortaliter gaudet . Dein afflatu quodam, etiam ut
medicus, vaticinatur .*

O D E XXIV.

 I O beatè est ! omnibus annuit
 Votis Olympus : redderis, impium
 Egressa Parcarum tribunal ,
 Sollicito CATHARINA regno .
O vitam, & annos parce pater, pater ,
Non sic vocatæ rumpere coniugis
 In flore primo : deme nostris
 Ah potius placitura (dixit)
Momenta fufis . Quis sterilem Tagi
Arere gemmam iacter ? amabili
 Possit Britannum prole regem ,
 Et cupidos hilarare ciues .
Euenit : atros pulchrior eniter
Vt post labores Cynthia, non secus ,
 Regina, liquisti cubile ,
 Horrifico decorata morbo .
At non molestis plena timoribus
Est forma tanti . Grande periculum
 Fecisse deuoti memento
 Tunc animi : tua quippè virtus ,

Gli-

110 . IAC. ALB. GHIBBESII

Gliscente fato, cum lacrymis preces
 Cunctos adegit fundere . Sic amor
 Perrupit astra ; incontinenti
 Cœlituum panacœa cessit.
 Salve micanti lætitijs, Hera ,
 Reducta terræ . Disfluet hinc dies
 Natalis, & festum quotannis
 Ducet agens minio Nouember .
 Quem dum colemus cantibus, & iocis ,
 Mensisque opimis, atque agili pede ,
 Suos coronatus videbit
 Luce sacrâ Genius nitores ,
 Tantæ minister Principis additus .
 Tum liba circum, tum pateræ meri
 Ibunt in orbem, tum recentis
 Serta rosæ sine fraude nardi .
 Audis salutis pignora : percipe
 Nunc dona charis debita nixibus
 Infantis alti : nam propinquum
 Credo equidem voltare tempus ;
 Atque ista (si quid nos Epidaurias
 Phœbus per artes edocuit quoque)
 Tormenta membrorum peracta
 Frugiferi dare signa ventris .
 Nec parua magno nausea partui
 Hæret sodalis : par dedit Herculem
 Dolor parentis ; nec minore
 Constiterit pretio Britanni
 Spes vna sceptri . Caroliden malæ
 Horrete gentes nunc etiam abditum :
 Fatale nomen Camber hæres ;
 Ille Leo, Niger ille, Camber .
 Hunc at vigoris tessera certior
 Commendat . En queis assimilis, tibi
 Patrique nascetur propago ;
 Haud alios velit Hector ortus .
 Sanguis vetustus, factaque fortia
 Heroa formant . Copia suppetit

Vtri-